



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Tyrocinium Artis Oratoriæ Sacræ Et Profanæ**

**Moine, Joseph**

**Solodori, 1714**

8. De Peroratione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68834)

Cum aliquid negari non potest, utimur compensatione, allatis virtutibus aut commodis contrariis. 4. Quod crimini datur ab adversario, ostenditur ex virtute factum, aut ex alia causa, quam qualem ipse asserit. 5. Non reprehendendo adversarii objectionem, sed intentionem, scilicet invidiam, odium, &c. Hæc & plura vide in Tyroc. Eloq. L. 3. c. 4. art. 2. Palat. Eloq. Exerc. 5. lect. 13.

VIII. Quæ Figuræ serviunt Confutationi? Resp. Interrogatio, Apostrophe acrior, Concessio, Subjectio, Exclamatio, Ironia, Prosopopœia, Anteoccupatio, Responsio, Communicatio, Prætermissio, Permissio, Deprecatio, &c.

## CAPUT VIII.

*De Peroratione.*

I. **Q**uid est Peroratio sive Epilogus? Resp. Epilogus, Cicer. L. 2. ad Heren. *Est artificiosus orationis terminus*, in quo majore vehementia urget Orator, quod tota oratione contendebat, ut videlicet ultimato moveat voluntatem ad id, quod ipsi persuadere constituit. Quandoquidem igitur ab hac parte victoria pendet, huc convertat, quidquid artis habet ad ciendos voluntatis Affectus; huc differat vires, ne languat,

K

gueat,

gueat, ubi vim dictis ipsa contentio actionis addere deberet.

**Ejus partes.** II. Quæ sunt partes, & qui modi Perorationis? Resp. Tres. Enumeratio, Amplificatio, Affectus.

**Enumeratio.** III. Quomodo fit per Enumerationem? Resp. Quando præcipua capita & argumenta, per totam orationem sparsa, in artificiosam summam per Anacephalæosin (alii Recapitulationem appellant) ita colliguntur, ut sub unum velut aspectum breviter ponantur. Est hoc non antiquam, iisdem propè verbis & sententiis, crambem recogliere, quod offendit, sed contracta priora capita, verbis, figuris, modisque aliis memoriæ auditoris juvandæ cum gratia reducere. Exemplum præbet Cicer. in Orat. pro Lege Man. Hæc Enumeratio utiliter suscipitur, si longior fuit oratio, & argumenta plura, vel prolixius diducta.

**Amplificatio.** IV. Quomodo per Amplificationem? Resp. De hac satis dictum est L. I. c. 6.

**Affectus,** V. Quomodo per Affectus? Resp. Etiam de his abundè tractatum eodem Lib. c. 7. & 8. Occurrunt tamen hîc aliqua insuper circa Affectus observanda. 1. Studiosissimè judicandum, quinam Affectus cuivis orationi maximè congruant. 2. Quando unum Affectum intendimus, nihil afferamus, quod movere possit etiam oppositum; alioquin nobis propositus hebetatur. V. G. Qui niti-  
tur

tur ex demonstratione Judicii divini concitare timorem, caveat, ne quid adjungat de magnitudine divinæ Misericordiæ. Nihil obstat tamen, quo minùs auditores fatiſ jam terrore percussoſ, circa finem conſoletur mentione divinæ Misericordiæ, pœniterentes recipere paratæ, ne debiliores deſperant. 3. Affectus tunc moventur vehementiùs, quando priùs mota eſt phantasia, quæ imaginibus, speciebus, viva rerum repræſentatione, ex ſimilitudinibus, exemplis & aliis hujusmodi imbuitur & quaſi figitur, magiſque propinquis quàm remotis, præſentibus, quàm præteritis aut futuris commovetur. Ut ſi dicatur: *Persuaſum habe, peccator, jam te citatum ad illud tremendum Judicis irati Tribunal; ſcelera Judicium accelerârunt; jam pro ſoribus ſtat Judicis apparitor mors; ratum eſt; hodie adhuc rationes anima tua diſcutientur. &c. Non contremiſciſ? Non illas ipſe componere vel hoc momento properas? Ruruſne in craſtinum diſferes, vel de hora ſequenti incertuſ? &c.* 4. Prudenter monet Quint. L. 6. c. 1. *Ut totaſ cauſa ſuaſ vires orator ante oculos ponat, & cum viderit, quid invidioſum, favorabile, inviſum, miſerabile, aut ſit in rebus, aut videri poſſit, ea dicat, quibus, ſi Judex eſſet, ipſe maxime moveretur.* 5. Affectus debent creſcere, h. e. poſteriora debent eſſe vehementiora prioribus; nam ut idem ibid. ait: *Quidquid non adiicit prioribus, etiam detrabere videtur; & facile deſicit Affectuſ,*  
 K 2 qui

*qui descendit.* 6. Affectus sint breves. Fatigantur orator & auditor, si protrahantur; & hic, quod aliàs dixi, se opponit, si animadvertat, sibi velut vim intentari.

VI. Debérne Enumeratio præcedere Amplificationem, vel Affectus? Resp. Potest etiam sequi.

VII. Possúntne hæc tria esse simul in eòdem Epilogo? Resp. Possunt; sed rarò expedit, cum aliàs fiat nimis longus. Itaq; commodius erit, si Affectus jungantur vel cum sola Enumeratione vel cum sola Amplificatione.

Quàm longus esse possit.

VIII. Quàm longus potest esse Epilogus? Resp. Prolixitas nimia sine dubio est vitiosa. Longior potest esse Exordium. Quàm longus verò esse debeat, iudicium cuiq; dictabit ex proportione totius orationis, ne videatur Epilogus non tam esse ejus exitus, quàm nova oratio.

